



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Ordo reconciliandi Cœmeterium violatum, sive Ecclesiæ contiguum sit sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

Postcommunio.

Percipientes, Domine, munera salutis æternæ, supplices exoramus; ut templum hoc & cœmeterium, ab infidelium inquinamentis emundatum, benedictione tuâ maneat sanctificatum, & pectora nostra ab omni forde vitiorum alienata tibi que devota semper existant. Per Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

O R D O
R E C O N C I L I A N D I
C O E M E T E R I V M V I O L A T V M,

S I V E

E C C L E S I Æ C O N T I G V V M S I T

S I V E S E P A R A T V M,

ubi Ecclesia non est polluta.

Reconciliatio Cœmeterii fieri poterit
quocunque die, hoc ordine.



*M*ane diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus & Clericis, indutis superpelliceis, in Sacristia aut alio decenti loco, vestitus amictu, albâ, cingulo, stolâ & pluviâ albi coloris, accedit ad medium Cœmeterii, Cle-

rico

rico vasculum aqua benedicta & aspergillum deferente; & ibi super tapete genuflectit una cum Ministris; & Cantores alique omnes, genibus flexis, dicunt Litánias. In quibus cum dictum fuerit, Vt omnibus fidelibus defunctis &c. Te rogamus, audi nos; Sacerdos surgit, & manu dextra producens signum Crucis super Cœmeterium, clara voce dicit: Vt hoc Cœmeterium reconciliare ✠ & sanctificare digneris. Resp. Te rogamus, audi nos.

Pag. 379.

Quibus dictis, ut prius, genuflectit, Cantoribus Litánias perscientibus.

Hiscæ finitis, surgunt omnes, & Sacerdos, accepto aspergillo cum aquâ benedictâ, inchoat Antiphonam: Asperges me, Domine, hyssopo; Clero prosequente, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor. Psalmus, Miserere mei Deus, &c. dicitur totus sine Gloria Patri, &c. In fine repetitur Antiphona, Asperges me, &c.

Pag. 150.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aquâ benedictâ, præsertim in loco ubi violatio commissæ est. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi stans dicit:

Oremus.

Et Ministri: Flectamus genua. Resp. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum

comparari voluisti : quæsumus , dignanter
reminiscere clementissimi hujus mysterii tui.
Tu es enim Domine figulus noster ; tu quie-
tis nostræ ager ; tu agri hujus es pretium ; tu
dedisti etiam & suscepisti ; tu de pretio & in
pretio tui vivifici Sanguinis nos requiescere
donasti. Tu ergo , Domine , qui es offensio-
nis nostræ clementissimus indultor , expe-
ctantissimus judicator , judicii tui superabun-
dantissimus miserator , judicium tuæ justæ
severitatis abscondens post miserationem
tuæ piæ redemptionis ; adesto exauditor &
effector nostræ reconciliationis , hocque cœ-
meterium , mausoleum peregrinorum tuo-
rum , cælestis patriæ incolatum expectan-
tium , benignus purifica & reconcilia ; & hic
tumulatorum & tumulandorum corpora , de
potentia & pietate tuæ resurrectionis , ad
gloriam incorruptionis , non damnans sed
glorificans , resuscita. Qui venturus es judi-
care vivos & mortuos , & sæculum per ignem.
Resp. Amen.

*Tunc redit ad Sacristiam, aut alium locum, in quo
paramenta accepit ; ubi depositis sacris vestibus, vadit
in pace.*